


* * (†) *



**REVERENDISSIMO PERILLUSTRI AMPLISSIMO
DOMINO, DOMINO**

**JACOBO ANTONIO JOSEPHO
BEHREN,**

Per insignis Collegiatæ ad S. ANDREAM Canonico Capitulari, Antiquissimæ apud Ubios Gymnadiæ Montanæ Regenti Vigilantissimo, Almæ hujus Universitatis ac Generalis Studii Colonienlis Rectori per quam Magnifico, Fautori ac Patrono jugi observantia Colendo.

Vir Amplissime, Rector per quam Magnifice!



Cum primi conatus mei juridici, quos edere debo pro obtinendâ in utroque jure licentia, incident in auspicatissimum tempus, quo Amplissimæ Magnificentiae Tuæ concreti sunt fasces Universitatis Ubicæ ac Studii generalis, tempus & conditionis meæ ratio exigunt, ut in principio conatus mei à te principium faciam, id quod faciam, si concedat Magnificentia Tua, ut tenuissimam hanc paginam Tibi dedicem, uti-

utinam verò talis esset momenti, ut per hanc aliquid Tibi oblatum dici
mereretur, ast non etiam hoc facio, quod ego aliquis aut exile hoc opus-
culum ponderis cuiusdam videri velim, sed ut aliquod gratae reverentiae
specimen, quam in conjunctam Tuam cum Amplitudine Magnificen-
tiam debitam foveo, proferam, & quomodo non proferre auderem? Te
enim Præsidem Vigilantissimum veneratur Antiquissima Gymnas nostra,
cujus filius sum, Te colit dignissimum Caput suum collegium nostrum
professorale, cuius pars minima sum, Te demum Rectorem Suum Mag-
nificum profundè suspicit tota Universitas, cuius ultima inter membra
repator, præterea studia Tua in me collata & multa & magna (quæ
venerabundo silentio involvere liceat) inculcant mihi obligationem, ut
indignum hoc solium Tibi dicatum habeam, quo faustum initium, cele-
rem progressum, fortunatum exitum labores mei sortientur, modò con-
suetis favoribus, quels Tuos ornare annas, fovere eos digneris; fove igi-
tur & fave. Sine conatus meos de Tuo gaudere patrocinio, quo con-
fisus subiecto Votum ex reverentia & affectu natum, ut Tuā sub vigi-
lantiā, quam probat Montis nostri decor & vigor paternā Sollicitudine
Tuā quantum auctus, diū florent studia nostra, Tuāque sub pruden-
tiā & curā in pace, in tranquillitate, in incremento tota vigeat Uni-
versitas, Paucis: regimen Tuum, faxint Superi! sit undique beatum

Ita vovet

Ueritatem Tuorum

Infirmus

REUSCH.